



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Libri I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

MEDITATIONES

B. ANSELMI,

Archiepiscopi Cantuariensis,

DE REDEMPTIONE

generis humani.

CAPVT I.

Quid sit virtus saluationis, & ubi.

Anima Christiana, anima de
gravi morte resuscitata: ani-
ma de misera seruitute Christi
sanguine redempta & libera-
ta: excita mentem tuam, me-
mento resuscitationis tuæ, re-
cogita redemptionem & liberationem tuam.
Retracta ubi & quæ sit virtus saluationis
tuæ: versare in meditatione ejus: delectare
in contemplatione ejus. Excute fastidium
tuum: fac vim cordi tuo: intende in hoc
mentem tuam. Gusta bonitatem Redempto-
ris tui, accendere in amorem saluatoris tui.
Mande favum verborum: suge plusquam
mellitum saporem: gluti salubrem dulco-
rem. Mande cogitando, suge intelligendo,
gluti amando & gaudendo. Latere manden-
do, gratulare sugendo, jucundare glutiendo.

2. Vbi ergo, & quæ est virtus, & fortitu-
do Saluatoris tui? Certe Christus te susci-
tauit: ille bonus Samaritanus te sanavit:

Q 2

ille

ille bonus amicus anima sua te liberavit: Christus inquam. Ergo virtus salvationis tuæ, virtus est Christi. Vbi est virtus Christi? Vtique cornua in manibus, ibi abscondita est fortitudo ejus. Cornua quidem in manibus ejus: quia brachiis crucis confixæ sunt manus ejus. Quæ autem fortitudo in tanta infirmitate? Quæ altitudo in tanta humilitate? Quid venerabile in tanto contemptu? Sed certe ideo absconditum, quia in infirmitate: & ideo celatum, quia in humilitate: ideo occultum, quia in contemptu.

3. O fortitudo abscondita: hominem in cruce pendentem suspendere mortem æternam, genus humanum prementem: hominem in ligno confixum defigere mundum perpetuæ morti affixum! O celata potestas: hominem damnatum cum latronibus, salvare homines damnatos cum dæmonibus: hominem in patibulo extensum, omnia trahere ad ipsum! O virtus occulta: unam animam emissam in tormento, innumerabiles extrahere de inferno; hominem mortem corporis suscipere, & mortem animarum perimere!

CAPVT II.

Cur sit occulta & tam diu dilatata.

I. **C**Ur bone Domine, pie redemptor, potens salvator; cur tantam virtutem operuisti tanta humilitate? An ut falleres diabolum, qui fallendo hominem dejecit de paradiso? Sed utique veritas nullum fallit.

Qui

Qui ignorat, qui non credidit veritatem, ipse se fallit. Qui videt veritatem, & odit, & contemnit, ipse se fallit. Veritas itaque nullum fallit. An ideo ut ipse diabolus se falleret? Sed utique, sicut veritas nullum fallit, ita non intendit, ut aliquis se fallat: quamvis dicatur hoc facere, cum permittit. Non enim assumpsisti hominem ut te totum operires, sed ut ignotum aperires. Verum Deum, verum hominem te dixisti, & operibus ostendisti.

2. Res per se occultata fuit, non studio occulta; non sic est facta, ut absconderetur, sed ut suo ordine perficeretur; nec ut aliquem deciperet, sed ut quemadmodum oportebat, fieret. Et si dicitur occultata: non est aliud, quam, non est omnibus revelata. Nam etsi veritas non omnibus se manifestat, nulli tamen se negat. Ergo Domine, nec ut falleres, nec ut aliquis se falleret, sic fecisti: sed ut faceres, quod & quomodo faciendum erat, per omnia in veritate perstitisti. Qui ergo se sefellit in tua veritate, non de te, sed de propria queratur falsitate. An diabolus habebat aliquid iuste adversus Deum, vel adversus hominem, propter quod Deus prius deberet adversus eum pro homine hoc modo agere, quam aperta fortitudine: ut dum allectum illum hominem iniuste occideret, iuste potestatem, quam super injustos habebat, perderet?

3. Sed certe diabolo nec Deus debebat aliquid nisi poenam, nec homo nisi vincere. Ita ut quemadmodum ab illo se facile permisit vinci peccando, ita illum vinceret

Q 3

usque

usque ad difficultatem mortis, justitiam integram servando. Sed & hoc non nisi Deo debebat homo. Nam non peccavit adversus diabolum, sed adversus Deum: nec homo diaboli erat, sed & homo, & diabolus Dei erant. Sed & quod diabolus vexabat hominem, non hoc faciebat zelo justitiæ, sed nequitia; nec jubente Deo, sed permittente: non diaboli, sed Dei justitia exigente. Nihil ergo erat in diabolo, cur Deus adversus eum ad salvandum hominem, fortitudinem suam celare aut differre deberet.

CAPVT III.

Qua & cujus necessitate se sic humiliavit.

I. **A**N aliqua necessitas coëgit, ut altissimus sic se humiliaret, & omnipotens ad faciendum aliquid tantum laboraret? Sed omnis necessitas & impossibilitas ejus subjacet voluntati. Quippe quod vult, necesse est esse: & quod non vult, impossibile est esse; Sola ergo voluntate. Et quoniam omnis ejus voluntas semper bona est, sola fecit hoc voluntate. Non enim Deus egebat, ut hoc modo hominem salvum faceret: sed humana natura indigebat, ut hoc modo Domino Deo satisfaceret. Non egebat Deus ut tam laboriosa pateretur: sed indigebat homo, ut sic Deo reconciliaretur. Nec egebat Deus ut sic humiliaretur: sed indigebat homo, ut sic de profundo inferni erueretur. Divina natura humiliari aut laborare non eguit, nec potuit: hæc omnia humanam naturam, ut ad hoc restitueretur

stitueretur propter quod facta erat, necesse erat facere: sed nec illa, nec quicquid Deus non est, poterat ad hoc sufficere. Nam homo ad quod institutus est, non restituitur, si non ad similitudinem Angelorum, in quibus nulum est peccatum, provehitur.

2. Quod est impossibile fieri, nisi omni percepta peccatorum remissione: quæ non fit, nisi præcedente integra satisfactione: quam satisfactionem talem oportet esse, ut peccator aut aliquis pro illo det aliquid Deo de suo, quod debitum non sit, quod superet omne quod Deus non est. Si enim peccare, est Deum exhonorare, & hoc homo facere non deberet, etiamsi necesse esset, quicquid est, quod Deus non est, perire: Vtique veritas immutabilis, & aperta ratio exigit ut qui peccat, reddat aliquid Deo pro honore ablato majus, quam sit hoc pro quo illum exhonorare non debuit. Quod quoniam humana natura sola non habebat, nec sine debita satisfactione reconciliari poterat: sic nec illa, nec quicquid Deus non est, ad hoc sufficeret.

3. Ne ergo justitia Dei in regno suo peccatum inordinatum relinqueret, subvenit bonitas Dei, & eam in suam personam assumpsit filius Dei: ut in ea persona esset homo Deus, qui haberet, quod superaret non solum omnem essentiam, quæ Deus non est, sed & omne debitum quod solvere peccatores debent: & hoc cum nihil pro se deberet, solveret pro aliis; qui quod debebant, reddere non habebant. Preciosior est namque vita

Q4

hominis

hominis illius, quam omne quod Deus non est, & superat omne debitum, quod debent peccatores pro satisfactione. Si enim filii interfectio superat omnem multitudinem & magnitudinem peccatorum, quæ cogitari possunt extra personam Dei, palam est, quia vita ejus magis est bona, quam omnia peccata sint mala, quæ extra personam Dei sunt.

4. Hanc vitam, homo iste, cum ex debito mori non debebat, quoniam peccator non erat, sponte dedit de suo, ad honorem patris: cum eam sibi auferri propter justitiam permisit, ut exemplum hominibus aliis daret, justitiam Dei ab illis non esse defendendam propter mortem, quam ex necessitate aliquando solvere debent; cum iste, qui eam non debebat, & servata justitia vitare posset, eam sibi illatam propter justitiam, sponte sustineret. Dedit itaque humana natura Deo in illo homine sponte, non ex debito, quod suum erat; ut redimeret se in aliis, in quibus, quod ex debito exigebatur, reddere non habebat. In omnibus his divina natura non est humiliata, sed humana est exaltata, nec est illa imminuta, sed ista misericorditer est adjuta.

CAPUT IV.

Quomodo dicatur factus obediens, & hujusmodi, cum sola libera voluntate hoc fecerit.

1. **N**Ec humana natura in isto homine passa est aliquid ulla necessitate, sed sola libera voluntate. Nec alicui violentiæ succu-

succubuit: sed spontanea voluntate, ad honorem Dei & utilitatem aliorum hominum, quæ illi mala voluntate sunt illata, laudabiliter & misericorditer sustinuit. Nec ulla cogente obedientia, sed potenti disponente sapientia. Non enim illi homini pater, ut moreretur, cogendo præcepit: sed ille, quod Patri placitum & hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit. Non enim ad hoc eum cogere potuit Pater, quod ab eo exigere non debuit. Nec patri tantus honor potuit non placere, quem tam bona voluntate filius sponte obtulit. Sic itaque patri liberam obedientiam exhibuit, cum hoc quod patri placitum scivit, sponte facere voluit. Denique quoniam pater illi hanc voluntatem bonam dedit, quamvis liberam, non immerito dicitur, quia eam velut præceptum patris accepit. Hoc itaque modo obediens fuit Patri usque ad mortem. Et sicut mandatum dedit illi Pater, sic fecit: & calicem quem dedit illi Pater, bibit.

2. Hæc est enim perfecta & liberrima humanæ naturæ obedientia, cum voluntatem suam liberam sponte voluntati Dei subdit; & cum acceptam bonam voluntatem sine omni exactione spontanea libertate opere perficit. Sic homo ille redemit omnes alios, cum hæc quod sponte dedit Deo, computat pro debito, quod illi debebant. Quo precio non semel tantum à culpis homo redimitur, sed etiam quoties cum digna pœnitentia redierit, recipitur. Quæ tamen pœnitentia peccati non promittitur. Quod quoniam

in cruce factum est, per crucem noster Christus nos redemit. Qui ergo ad hanc gratiam volunt cum digno affectu accedere, salvantur. Qui vero illam contemnunt, quia debitum quod debent non reddunt, iuste damnantur.

CAPUT V.

De meditatione circa hoc, & de quo gaudendum circa passionem Christi.

1. **E**Cce anima Christiana, hæc est virtus salvationis tuæ; hæc est causa libertatis tuæ: hoc est pretium redemptionis tuæ. Captiva eras, sed hoc modo es redempta. Ancilla eras, & sic es liberata. Sic es exul reducta, perdita restituta, & mortua resuscitata. Hoc mandat, homo, hoc ruminet, hoc fugat, hoc glutiat cor tuum, cum ejusdem Redemptoris tui carnem & sanguinem accepit os tuum. Hoc fac in hac vita quotidianum panem & victum & viaticum tuum: quia per hoc, & non nisi per hoc, & tu manebis in Christo, & Christus in te; & futura vita erit plenum gaudium tuum.

2. Sed ô tu Domine, tu qui ut ego viverem mortem suscepisti: Quomodo latabor de libertate mea, quæ non est nisi de vinculis tuis? Qualiter gratulabor de salute mea, cum non sit nisi de doloribus tuis? quomodo gaudebo de vita mea, quæ non est nisi de morte tua? An gaudebo de his, quæ passus es; & de crudelitate illorum, qui ea tibi fecerunt? Quoniam nisi illi fecissent, tu passus non esses. Et, si tu passus non esses, hæc mea
bona

bona non essent. Aut si de illis dolebo; quomodo de istis, propter quæ illa fuerunt, & quæ non essent, nisi illa fuissent, gaudebo? Sed certe illorum nequitia nihil facere potuit, nisi quia tu sponte permisisti; nec tu passus esses, nisi quia pie voluisti. Illorum itaque debeo crudelitatem execrari, mortem & labores tuos compatiendo imitari: piam voluntatem tuam gratias agendo amare, ac sic secure de bonis mihi collatis exultare.

C A P V T VI.

De beneficiis homini à Christo exhibitis.

I. **E**Rgo homuncio, illorum crudelitatem relinque Dei iudicio, & tracta de his, quæ debes salvatori tuo. Considera, quid tibi erat, & quid tibi factum sit; & pensa, qui hoc tibi fecit, quo amore dignus. Intuere necessitatem tuam, & benignitatem ejus, & vide, quas gratias reddas, & quantum debeas amoris ejus. In tenebris, in lubrico, in descensu subter irremeabile chaos inferni eras immersus: & quasi plumbeum pondus, pendens à collo tuo, te deorsum trahebat. Onus importabile desuper te premebat, hostes invisibiles te toto conatu impellebant. Sic eras sine omni auxilio, & nesciebas, quia sic conceptus & natus eras. O quid tibi tunc erat, & quo te ista rapiebant? Expavesce memorando; contremisce cogitando: O bone Domine Iesu Christe, sicposito, nec petenti, nec opinanti, ut Sol mihi illuxisti, & quomodo eram, ostendisti. Abj-
cisti

cisti plumbum, quod deorsum me trahebat: & removisti onus, quod desuper me premebat. Impellentes me repulisti, ac illis te pro me opposuisti.

2. Vocasti me nomine novo, quod mihi de tuo nomine dedisti, & incurvatum ad aspectum tuum erexisti, dicens: Confide, ego te redemi; animam meam pro te dedi. Si adhaeres mihi, & mala in quibus eras, evades, & in profundum, quo properabas, non cades; sed perducam te ad regnum meum, & faciam te heredem Dei, & cohæredem meum. Exinde accepisti me in tuitionem tuam, ut nihil noceret animæ meæ contra voluntatem suam. Et ecce, licet adhuc non adhaferim tibi, sicut consuluisti, nondum tamen in infernum me cadere permisisti: sed adhuc expectas, ut adhaeream, & facias quod promisisti. Certe Domine sic eram, & hoc fecisti mihi. In tenebris eram, quia nihil nec meipsum sciebam in lubrico: quia imbecillis & fragilis ad lapsum peccati, eram in descensu super chaos inferni. Quia in primis parentibus descenderam de justitia ad injustitiam, per quam descenditur ad infernum: & de beatitudine ad temporalem miseriam, de qua caditur ad æternam miseriam.

3. Ponderus originalis peccati deorsum me trahebat; & onus importabile iudicii Dei me premebat: & inimici mei dæmones, ut me aliis peccatis damnabiliorem facerent, quantum in ipsis erat vehementer insistebant. Sic destituto omni auxilio, illuxisti mihi,

mihi, & quomodo eram ostendisti. Quia & cum ego nondum hoc noscere poteram; alios qui pro me nossent, & postea meipsum antequam postularem, hæc omnia docuisti; plumbum trahens, & onus gravans, & hostes impellentes rejecisti. Quia peccatum, in quo natus & conceptus eram, & damnationem ejus, amovisti, & malignos spiritus ne vim animæ meæ facerent, prohibuisti. Christianum me fecisti vocari de nomine tuo, per quod & ego confiteor, & tu cognoscis me inter redemptos tuos, & erexisti & elevasti me ad notitiam & amorem tuum. Fecisti me confidere de salute animæ meæ, pro qua dedisti animam tuam: & mihi, si te sequerer, promisisti gloriam tuam. Et ecce, cum nondum sequar te, sicut consuluisti, sed insuper multa peccata fecerim, quæ tu prohibuisti: adhuc expectas, ut te sequar, & dones quod tu promisisti.

C A P V T VII.

De gratiis agendis super his. 1

I. **C**onsidera anima mea: Intendite omnia intima mea, quantum illi debeat substantia mea tota. Certe Domine, quia me fecisti, debeo amoris tuo meipsum totum; quia me redemisti, debeo meipsum totum: quia tantum promittis, debeo meipsum totum: ima tantum debeo amoris tuo plus quam meipsum, quantum tu es major me, pro quo dedisti teipsum, & cui promittis teipsum. Fac (precor) Domine me gustare per amorem, quod gusto per cognitionem.

Sentiam

Sentiam per affectum, quod sentio per intellectum. Plus debeo quam meipsum totum; sed nec plus habeo, nec hoc ipsum possum per me reddere totum. Trahe me, Domine, in amorem tuum, & hoc ipsum totum. Totum quod sum, tuum est conditione: fac totum tuum dilectione.

2. Ecce, Domine, coram te est cor meum: conatur, sed per se non potest. Fac tu, quod ipsum non potest. Admitte me intra cubiculum amoris tui, peto, quero, pulso. Qui me facis petere, fac & accipere: Das quærere, da invenire: Doces pulsare, aperi pulsanti. Cui das, si negas petenti? Quis invenit, si quærrens frustratur? Cui aperis, si pulsanti claudis? Quid das non oranti, si amorem tuum negas oranti? A te habeo desiderare, à te habeam impetrare. Adhære illi, adhære importune, anima mea. Bone Domine, pie Domine, ne rejicias eam: fame amoris tui languet; refocilla eam: satiet eam dilectio tua, impinguet eam affectus tuus, impleat eam amor tuus, occupet me totum, & possideat me totum; quia es tu cum Patre & Spiritu sancto Deus solus benedictus in sacula saculorum. Amen.